Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1719

Quelle:
Copyright:

blicani ſunt deſtruendi arcendique. Ita in calce. Initium vero: *Vtrum aliquid lege diuina prohibitum* &c. Itaque iſtud Exemplum plenius eſt altero *Cod.* DCLXIII. adlato, cui totum deeſt Prooemium.

XII. *fol.* 48. *Sermo magiſtri Johannis Hus de pace.* Initium: *Dominus noſter ihesus christus perfectus mundi redemtor* &c. Ut Edit. *cit.* T. I. p. 65. ubi additur: *quem etiam intendebat prædicare in Concilio Conſtantienſi.*

XIII. *fol.* 55. *Joh. Huſſi* Tractatus breves *de decem Preceptis, Expoſicio ſuper pater noſter, de Peccato mortali, de Matrimonio, de cognitione et dilectione Dei, de tribus Hoſtibus, de Penitencia, de corpore Chriſti,* prout extant T. *cit.* a p. 38. In *Codice* pauculis Gloſſis *bob.* et *germ.* adſperſi ſunt. Ad calcem: *Scriptum finaliter ſabbato ante Quaſimodogeniti. Anno MCCCCXV.*

XIV. *fol.* 68. p. 2. *Contra coream ſeu coryſantes.* Item *de habitu Sacerdotum.* Item: *Vtrum ſacerdos nolens populo miniſtrare corpus chriſti ſub duplici ſpecie eſt ſeductor et hereticus.* Item: *de vero ſacerdocio chriſti.* Adparatus potius Rationum et Autoritatum a quodam *Wicleſi* et *Huſſi* Adſecla congeſtarum. Inter alia p. 92. *Et bene ſic eciam ad vtilitatem fidelium factum eſt, vt eciam in Slawonico miſſa legeretur. Et ſi idem deſiderium in cordibus plebium iam mouetur, et veriſimiliter eadem vtilitas ſalutis plebibus proueniret, neceſſitate creſcente poſſet in Bohemico propter multitudinem audiencium celebrari, vel ewangelium et epiſtola et alia audientibus in Bohemico expreſſe legi.* &c.

XV. *fol.* 96. *Quod non ſolum ſacerdotes, ſed eciam layci fideles uel quicunque alij chriſtiani deum timentes debent bibere ſacramentaliter et ſpiritualiter de calice precioſum ſangwinem chriſti, patet primo ex ewangelio ſaluatoris Matth.* 26. &c. Autor hujus Tractatus non exprimitur.

XVI. *fol.* 123. p. 2. *Tractatus Magiſtri Cunſſonis de deuolucionibus non recipiendis.* Incipit; *Reuerendiſſimo in chriſto patri domino Johanni ſancte pragenſis eccleſie Archiepiſcopo, Apoſtolice ſedis legato, Cunſo Cuſtos et Canonicus pragenſis, V. P. indignus vicarius et decretorum Doctor minimus obedientiam debitam, et pro extirpacione veprium et praue conſuetudinis ab inceptis nullatenus reſilire* &c. Conſuetudinem hanc verbis *Mandati* Archiepiſcopalis, quod huic Tractatui inſertum eſt, exponam: *reperimus conſuetudinem in bonis eccleſie ſponſe noſtre, quam paganicam reputamus, quod ruſtici cenſiti et ſubditi cenſuales, quos tamen liberos natura progenuit, ſi ſine liberis morerentur, bona eorum mobilia et immobilia, poſſeſſiones et iura non ad conſanguineos uel beredes, ſed ad menſam noſtram ſine diſtinctione qualibet veniebant, et quod execrabile eſt, dum tales agerent in humanis, beredes inſtituere non valebant, ad pias cauſas*

quicquam